


2
CAROLVS CLVSIVS PETRO

COLDENBERGO PHARMACOPOEO

ANTVERPIANO S.

RODIIT superioribus diebus
Libellus italicè conscriptus
(Dispensarium vocant) medi-
camentorum compositiones
continens. Eum cum perlegif-
sem, dignum iudicaui qui & reliquis natio-
nibus eius linguæ ignaris cōmunicaretur:
nam in eo medicamenta meliori methodo
descripta conspiciebam, quàm in reliquis
Antidotarijs, & multas insuper veterū Me-
dicorum compositiones in vsum reuocari,
quæ à maioribus nostris planè neglectæ fue-
rant. Qua re tecum communicata, hortari
me cœpisti, vt illum latinum facerem. Ego
qui noueram me huic oneri imparē, nec
tam confirmato esse iudicio, vt in hac Me-
dicinæ parte præclari quidquam à me ex-
pectari debeat, quantum potui reluctatus
sum, ne meam inscitiã proderem: sciebam
enim quàm præclarè cum illis agatur, qui-
bus hoc tempore priuatim suis studijs frui
licet. Sed cum nihil agerem, idque à me tu
& Plantinus tantoperè expeteretis, cona-
tus

A 2

tus sum mihi persuadere, vobis assentien-
dum esse, meum iudicium quantum potui
fallens. Quòd si conceptæ speci noster co-
natus non responderit, vestro periculo id
esto, quandoquidem me huc impulistis.
Vides igitur, mi Coldenberge, quàm du-
ram vterque ceperimus prouinciam: tu,
qui talem opinionem de me conceperis:
ego, qui, dum eam veram esse mihi persua-
deri sino, negotium hoc sim aggressus.
Versionem itaque ad finem perduxì, de
qua hoc affirmare possum, summam me o-
peram adhibuisse, vt, si minus feliciter, at
certè fideliter & propriè singula redderen-
tur, & cõpositiones aliquot corruptæ resti-
tuerètur: qua in re plurimùm mihi profuisti,
quemadmodùm nonnullæ cõpositiones à te
emendatæ ac restitutæ testari possunt. Ad
hæc singulorum ferè medicamentorum fa-
cultates ex ipsis Autoribus collectas adie-
ci, ne quid in alijs esset, quod in hoc desi-
derari meritò posset. Denique talem ef-
feci, vt cum optimis quibusque Antidota-
rijs conferri posset. Cæterùm, tametsi hu-
ius vtilitatem satis pro dignitate commen-
dare non queam: quoniam tamen varia
sunt hominum iudicia, atque ille hoc, hic
illud

illud præferendum censeat, fieri non potest vt quis omnibus placeat, atque adeò hæc ratio est, cur tot quotidie prodeant nouæ Medicamentorum formulæ. Sed vti-
nam, aut tu, (quod futurum spem fecisti) aut alij viri eruditi in Nicolao restituendo operam aliquando collocetis, vt hic suoni-
tori ad veterum exemplarium fidem restitutus, vnus proponatur omnibus Pharmacopolis, cuius normam in conficiendis medicamentis sequantur, relictis vulgaribus Dispensarijs plerunque corruptissimis: aut sanè D. Rondeletij viri doctissimi Pharmacopœa in publicum tandè emittatur: hæc enim vna multorum Dispensariorum instar omnibus esse possit. Quod reliquum est, non inconsultè me facturum existimaui, si opus iam absolutū tuæ fidei committerem, & veluti tuum facerem: Nam, cum ad eius versionem me impuleris, eius etiam curam atque patrocinium te suscipere æquum est, illud apud te cogitans, vt si dignum iudices, in publicū prodire sinas, sin minus, supprimas. Vale, Parisijs 1561.
Cal. Aprilis.

A 3 CLA-